

sunt urbes Leucosia, in media ferme insula constituta, a veteribus historicis prætermissa, mœnibus olim destituta, arcem prævalidam tantum ad orientem obtinebat. Callinici, mox Leucadii, inde Leucosiæ a Leuco nomen inditum, quod licet Græcis album significet, nonnulli vallem sylvis obsitam interpretantur, atque Leucosiam densissimo, ac confertissimo arboribus loco conditam initio ferunt ea præcipue ex parte, qua divi Triphiliî basilica æstuariis undique præcineta visebatur: inde quotannis natalem illius celebrantibus palustres herbarum, ac junci vetustæ memoriæ signa spargebantur. Petrus Lusinianus Rex mœnibus urbem cingere est aggressus. Jacobus frater opus inchoatum perfecit. Superioribus annis Venetorum ope munita, undecim propugnaculis extructis, ad quoslibet impetus hostium excipiendos idonea censebatur. Salubri cælo, optimis aquis pollet; ingenua nobilitate nitens, elegantibusque moribus exulta, compluribus tum latinis, tum græcis basilicis ornata; populus in religionem propensus. In eam urbem varia hominum cujusque religionis genera confluebant. Nam præter Latinos, ac Græcos, Armeni, Maronitæ, Cophti, Jacobitæ, Nestoriani adnumerabantur. Suos quisque Episcopos suo more habebat, a quibus ad vices Leucosiensis Archiepiscopi gerentem provocationes fiebant.

Non inferior Tamassi civitas, *Famagusta* vulgo dicta, habebatur; Ammachostus Græcorum temporibus, tamquam arena absconderetur; a Latinis postea erecta, arx navalis ædificata, portus catena obstructus. Veneti munitiorem, additis propugnaculis, juxta recentem muniendorum oppidorum formam reddidere. Olim aere, & aquis insalubribus utebatur. Nam ob Constantiæ lacus propinquitatem nocturno, diurnoque crepusculis, putridis, atque infectis sese sustollentibus vaporibus, morbi, ac noxæ mortalibus inferebantur. Huic incommodo, palude exsiccata, atque alio averfis aquis, obviam itum. E solo vero scaturiginibus prodeuntibus, quæ maris salfedine permixtæ manabant, rejectis, cisternæ, quæ salubres exciperent, & fervarent, fabrefactæ. Sed cum frequenter collaberentur, atque ad eas farciendas, artificum inopia inutiles redderentur; tandem limpidissimus, atque optimus e venis subterraneis erumpens aquæ fons inventus, uberem universæ